

alia que sint contra honorem suum, emendet sive conponat
 comuni duas march. frx. ¶ Et si alias rusticitates aliquis
 deinde inferius dixerit, puniatur secundum qualitatem culpe
 in arbitrio potestatis a media marcha inferius. ¶ Si vero
 5 acusatus negaverit se non dixisse dicta verba, et conquestor se
 optulerit probaturum et non probaverit, paciatur eandem pe-
 nam quam passus fuerit acusatus, si probatum fuisset dixisse.
 ¶ Salvo quod, si quis dixerit de vituperiis // supradictis alicui 132 A
 vel aliquod aliud vituperium contra honorem suum et proba-
 10 verit dictum vituperium esse verum, non cadat ille ad aliquam
 penam presentis statuti, quam probationem facere teneatur et
 debeat ante publicationem condemnationis. ¶ Et quod in
 discretionem et arbitrio domini potestatis sit punire et con-
 dempnare quemlibet dicentem ignomini[os]a vel iniuriosa
 15 verba alicui coram domino potestate, vel in consilio vel in
 palacio vel in platea, in libr. vigintiquinque par. et ab inde
 inferius, considerata conditione personarum et qualitate delicti.
 ¶ Exceptis mercenariis tam masculis quam feminis et aliis
 ribaldis, quibus si probata fuerint verba iniuriosa et vitupe-
 20 riosa, nullam penam paciatur. ¶ Si vero aliquis civis aliquem
 civem acusaverit alicui extra iudicium de aliqua rusticitate
 dicta alicui in absentia partis, conponat comuni sold. viginti
 par. ¶ Et hoc intelligatur de acusatione que non sit potestati
 aut iudicibus potestatis. ¶ Et si aliqua mulier villis condi-
 25 tionis civis vel habitatrix Tergesti non habens virum dicat
 aliquod vituperium alicui mulieri civi Tergesti bone vel alteri
 persone honeste, et occasione predicta talis persona, cui dictum
 fuerit vituperium, diceret vel faceret aliquam iniuriam tali
 mulieri vilis condicionis, tam verbis quam factis, manu vacua
 30 sine sanguinis effusione, et dicta mulier villis condicionis of-
 fensa fuisset vel esset meretrix, // cadat persona honesta offen- 132 B
 dens ad penam decem libr. par. et ab inde inferius, secundum
 qualitatem personarum et conditionem delicti, non obstantibus
 aliquibus statutis in contrario loquentibus. ¶ Salvis statutis
 35 de homicidio membro mancho et debilitato, furto et robaria
 in suo robore duraturis.